



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Aloysius tituli Sancti Alexij Card. Homodeus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

Christophorus tituli Sancti Marci Cardinalis

sub Vidman.

Beatissime Pater: Beati Thomæ de Villanoua, Archiepiscopi Valentia, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Canonizationem, hucusque crebris Congregationibus protractam, iustis de causis absolendam censeo.

Præterea, quod in ornata huius Angelicæ Animæ omnes tam Cardinales, quàm Theologales consensere virtutes; ex ijs tamen Charitas, & Fortitudo, lucidius apparere: Illa, non tantum in subleuandis pauperum miserijs; verum etiam eorumdem secretis necessitatibus cum profusione paternæ substantiæ spontè occurrendo; Ista, Episcopale onus alacriter ferendo, inflexibili præcipuè animi robore contra Rectores Mundi pro libertate Ecclesiastica, assiduò etiam audiendi labore, cum noctu dieque populorum querelis pateret aditus, vt auditas summa cum pietate, & iustitia componeret.

Talibus igitur ornatum meritis, atquè alijs animi dotibus insignem, miraculis præterea, & in vita, & in morte illustrem, Sanctorum factis iure merito adscribendum censeo.

Aloysius tituli Sancti Alexij Card. Homodeus.

Omnipotentis Dei consilio, qui adiutor est in opportunitatibus, pro conditione temporum, Sanctorum virtutes imitandæ proponuntur. Agitur in præsentia, de Beato Thoma de Villanoua Sanctorum factis adscribendo, & opportunè; nam summa ipsius pietas in subditis audiendis, tuendis, iuuandis: sancta in pauperes prodigalitas: pastoralis in regenda, tuendaque Ecclesia sollicitudo, ac constantia: cæterarum denique virtutum excellentia miraculorum gloria coruscans, & Apostolica discussione probata, præsentis sæculi restaurant infirmitatem, & accendunt fidelium gregem, præcipuè verò religiosam, & Ecclesiasticum Ordinem, vt maiori studio tantum virtutum apicem attingere conitantur. Summam igitur huius temporis utilitatem, & illustre Sanctitatis Vestræ decus esse censeo, si Beatus Thomas inter Sanctos relatus, vniuersæ Ecclesiæ venerandus proponatur.

la-